



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Caput I. Primum prædestinationis signum, Timor peccati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272



TRACTATIUNCULA PRIMA DE SIGNIS PRÆDESTINATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Primum prædestinationis signum timor peccati.

PRÆDESTINATIONEM per signa rimabi-
mur: quia prædestinationem nemo in hac vita sci-
re potest certitudinaliter, si enim *nescit homo,*
utrum amore, an odio dignus sit, Eccl. 9. nescit etiã *Eccles. 9.*
utrum prædestinatus, an reprobus sit: cum in illo
sit objectum amoris, in hoc odij, & de hoc inter-
pretatur Gregorius lib. 29. moral. cap. 18. illud *Gregor.*
Iob 38. *nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra,*
ubi ordinem, inquit, cæli nosse, est *supernarum dispositionum occultas*
prædestinationes videre: quod utique in hac vita positus nullus potest. Cum
igitur nostræ salutis, aut damnationis exitum, quod negotium maxi-
mè omnium nostra interest, certò cognoscere non possimus: saltem
debemus, quoad fieri potest, id per conjecturas, & signa scrutari.
Quamobrem Bernardus serm. 2. de Ascens. suos alloquens, *Quis scit,*
inquit, *si omnium vestrum, quos hic video, nomina scripta sunt in*
cælis, & in libro prædestinationis notata. Vocationis, & justificatio-
nis vestra aliqua signa mihi videor intueri. Utilissimum certè erit,
ut unusquisque in se signa vel prædestinationis, vel reprobationis
agnoscat, ad illa retinenda, hæc reiicienda. Idcirco dicitur 2. Petri 1.
Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem
faciatis, id est satagite, ut habeatis signa, quoad fieri potest, certa
vestræ prædestinationis. Quia, ut notat S. Thomas 1. part. quæst. 27.

A ij.

4 *Primum prædestinationis signum*

S. Thom. art. 8. in corp. *Per bona opera prædestinationis effectus certitudinaliter impletur.* Quippe effectus signa sunt certa suæ causæ; ut fumus effectus est, & signum ignis. Porro in hac materia signa sunt solum probabilia magis, aut minus: nulla planè certa, nisi perseverantia finalis in gratia. Et sic, quod dicit Petrus de *certitudine electionis per bona opera*, intelligendum est de bonis operibus procedentibus ex gratia, ut finaliter perseverantibus. Loquendo autem de signis conjecturalibus, & probabilibus.

II. Dico primò. Primum signum prædestinationis est timor peccati. Prædestinationis primum signum timor peccati. Probatur, quia *initium sapientia timor Domini.* Psalm. 110. & Proverb. 9. quem locum expendens Bernard. serm. 23. in Cant. *aliud, inquit, est nosse Deum, aliud timere: nec cognitio Dei sapientem facit, sed timor.* Per sapientiam autem hic non significatur, nisi prudentia; non naturalis, & humana, dirigens media ad fines naturales, & politicos. Ergo supernaturalis, & cælestis, dirigens media ad finem supernaturalem: cum prudentia sit habitus directivus mediorum ad finem, ut ostendimus tomo 2. l. 3. q. 1. Cum igitur prædestinatio, ut pars prudentiæ & providentiæ est, non sit nisi cognitio Dei practica respectu mediorum ad finem salutis; primus, & immediatus ejus effectus erit prudentia infusa prædestinato, ut cognitio practica mediorum ad eundem finem. Hujus autem prudentiæ, seu sapientia initium est timor Domini, nempe timor, ne offendatur Dominus.

Psal. 36. Ratio est, quia prudentia dictativa mediorum conducentium ad aliquem finem, prius dicitur de vitandis iis, quæ deducunt à fine, postea etiam de iis, quæ ducunt ad finem. Quare dicitur Psal. 36. *Timorem Domini docebo vos. Declina à malo, & fac bonum.* Malitia autem peccati in eo est, ut sit quædam retardatio, & deductio à ultimo fine, & sic impeditiva, nè ad illum voluntas possit accedere. Quamobrem Gregorius lib. 6. epist. indict. 15. epist. 27. *Quid, inquit, aliud est peccare, nisi à Deo fugere?* Ideo in sacris litteris peccata dicuntur separare nos à Deo, quasi murus divisorius inter nos, & Deum. Isaiæ 59. *Iniquitates vestra dividerunt inter vos, & Deum vestrum,* ob quod dicuntur romphæa bis acuta: quia dividendo nos à Deo, duplicem mortem infligunt, temporalem, & æternam, Eccles. 21. *quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Dicuntur etiam funes retinentes, ne ambulare possimus ad finem. 2. Reg. 22. *funes inferni circumdederunt me.* Dicuntur vincula. Isai. 25. *Præcipitabile in monte isto faciem vinculi colligati.* Dicuntur catenæ Isai. 58. *Si abstuleris de medio tui catenam.* Dicuntur laquei mortis. 2. Reg. 22. *Prævenierunt me laquei mortis.* Dicuntur onus grave, Psalm. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravata sunt super me.* Dicuntur rete, quod viri sancti volando effugiunt.

III. Peccata funes inferni. 2. Reg. 22. Peccata vincula. Isai. 25. Peccata catenæ.

Timor peccati.

Prov. 1. frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. E quibus infertur peccata esse obstacula quædam impeditiva, ne ascendamus ad finem ultimum supernaturalem. Ideo Augustinus serm. 179. de tempore: si, inquit, desideramus ascendere, debemus vitia, & peccata deponere. Hæc quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt. Unde sequitur, quod amans finem ultimum timet peccatum retardativum à fine. Ex amore enim boni causatur timor mali oppositi: timor igitur peccati, quod est deviativum à fine prædestinationis, est primus effectus amoris, quo quis fertur ad finem salutis: & est primum signum prædestinationis ad eundem finem.

Confirmatur primò ex Psalm. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Quia scilicet timor Domini ad beatitudinem perducit. Ideò subdit, *in mandatis eius volet nimis*; quippe timendo ne peccet, non deviat à mandatis Dei, quæ sunt media conducentia ad beatitudinis finem. Idcirco Cassiodorus in eum Psalm. *Timor, inquit, mundi miseros facit: timor Dei ea appetere facit, per qua homo beatus est.* Ambrosius etiam in illud Psalm. 118. *à verbis tuis trepidavit cor meum; trepidare, inquit, infirmitatis est, timoris, atque formidinis: sed est etiam timor sanctorum, est etiam infirmitas ad salutem.* Ergo timor hic effectus est, & signum prædestinationis, quæ dat media perductiva ad salutem. Quapropter dicitur Proverb. 14. *timor Domini fons vitæ.* Timor autem Domini maximè consistit in hoc, ut caveatur offensa Domini. Ideò dicitur Proverb. 8. *timor Domini odit malum, & 16. in timore Domini declinatur à malo.* Psalm. 138. *confige timore tuo carnes meas: sive ut alij, confige clavis timoris tui carnes meas,* sicut enim confixi clavis membra movere non possunt, etiam si maximè id velent: ita timor Dei sic rationem, atque ipsa membra configit, ut ad offensam Dei neque de facto moveantur, & moveri ferè non possint. Experientia id monstrat in sanctis viris: quorum voluntas, quasi amissa libertate peccandi, pœne impossibile videtur ut ad peccatum deflectat, eo modo quo clavis confixus moveri non potest. Ideò Ioseph sollicitatus ad peccandum, respondit, *quomodo possum hoc malum facere?* non dixit, nolo, sed, non possum: quia scilicet confixus clavo timoris Domini, extendere ad peccandum membra non poterat. Ideò Ambrosius serm. 15. in eum Psalm. *confige, inquit, clavis: & destrue fomenta peccati. Moriatur in carne omnium illecebra delictorum. Libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habeat. Est quidam clavis spiritualis, qui patibulo Crucis Dominica carnes affigit. Configit hos timor Domini, & iudiciorum eius.* Plures igitur ex prædestinationis incitati ad peccatum, respondent cum Ioseph, *non possum:* quia, ut diximus ex Ambrosio, *libertatem vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa non habet, confixa clavo timoris Domini.*

Isa. 58.
Peccata la-
quei mor-
tis.

2. Reg. 22.
Peccata
onus gra-
ve.

Psalm. 37.
Peccata re-
tia.

Prov. 1.

August.

Amor Dei
causat ti-
morem pec-
cati.

Psal. 111.
Timor Dei
beatificat.

Cassiodor.
Ambros.
Psal. 118.

Prov. 14.
Timor Dei
retrahit à
peccato.

Prov. 8. &
16.

Psal. 138.

I V.
Timor Dei
clavis car-
nis.

Ambros.

Eccl. 33.
Timentibus
Deum promittitur
speciale auxilium.
Lyranus.
S. Ephrem.

Rabbanus.

Chrysof.

Timor Domini nauclerus.
S. Ephrem.

Eccl. 34.

Proverb. 14.

August.

Timor Dei timorem tollit.
Lyranus.
Eccl. 1.

Timentibus Deum promittitur specialis

Confirmatur id secundò ex promissionibus à Deo factis timentibus ipsum. Nihil frequentius in Scripturis. Seligam pauca, quæ magis ad rem faciunt. Primò iis promittitur liberatio à culpis Eccl. 33. *Timentibus Dominum non occurrent mala.* Promittitur hîc timentibus Deum auxilium quoddam Dei speciale, & efficax ad evitandas culpas: ideo dicitur, *non occurrent ei mala*, id est, ut explicat Lyranus, *mala culpa*: quia scilicet timor hic est veluti gladius ad ea omnia amputanda. Ideo Sanctus Ephrem serm. de patient. & consum. seculi. *Pro framea*, inquit, *ac gladio timorem apprehende Domini, nam timor Dei veluti gladius anceps est, omnem concupiscentiam carnis eradens.* Idcirco dicitur, *timenti Dominum non occurrent ei mala*, id est ex Lyrano, *mala culpa*. Aliter explicat id Rabbanus etiam de malis pœnæ: *Timenti*, inquit, *Dominum non occurrent mala futura, qua iniquis preparata sunt pro peccatis*, quod est dicere, promittitur iis prædestinationis.

Secundò timenti Deum promittitur liberatio à tentationibus, quippe eum Dominus à malignorum spirituum suggestionibus defendit. Subdit enim, *in tentatione Deus illum conservabit*, &c. *non illelidetur quasi in procella navis*; quia scilicet timor Domini, qui tanquam nauclerus clavum tenens, navem inter tentationum procellas dirigit ad portum salutis. Quod egregiè notat Chrysofostomus homil. 1. de Anna, ubi fortiter, inquit, *pertulit tempestatem; nec passa est navem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assistens, non prius destitit mentem illius gubernare, quam in tranquillum portum adduceret.* Alia similitudine utitur Sanctus Ephrem serm. affectivo Dei, ubi, *qui timet*, inquit, *Dominum similis est civitati supra montem posita, muris munita, & cujus aspectu improbi demones contremiscunt.*

Tertiò promittitur fiducia: ita ut ei, qui timet Dominum, nihil præterea sit timendum Eccl. 34. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus.* Videntur hæc pugnare. Si enim timet, quomodo dicitur, *non pavebit*? Sed soluitur id ex Proverb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Quem locum expendens Augustinus serm. 214. de temp. *Discat*, inquit, *timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus*, sequitur, *timentis Dominum beata est anima ejus*, in quem locum Lyranus, *licet*, inquit, *non adhuc beata in re, beata est in spe*, nempe propter signum, quod habet futuræ beatitudinis. Quare dicitur Eccl. 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiã, & gaudium, & longitudinem dierum.*

Quartò promittitur timentibus Deum oculus Dei, id est divina protectio Proverb. 14. *ad quem respicit, & quis est fortitudo ejus?* (id est, in quo se Deus fortem demonstrat.) *oculi Domini super timen-*

tes eum, promittitur hic timentibus Deum specialiter Dei oculus, qui non est alius, nisi providentia ejusdem specialis circa prædesti-
 natos. Ideo sequitur. *Protector potentia, firmamentum virtutis, tegi-
 men ardoris, &c.* ubi obiter adverte, quod dicitur Apoc. 1. *oculi ejus
 tanquam flamma ignis*: hic autem dicuntur, *oculi Domini regimen
 ardoris*, quæ videntur contraria. Nimirum utrumque præstant divi-
 nioculi Deum timentibus, quos inflamant divino amore, & tegunt
 à tentationum ardore. *Oculi ejus flamma ignis*, quia, ut ibi notat
 Riccardus de S. Victore, *electos respiciens illustrat luce sapientia, ca-
 lefacit amore justitia: reprobos autem respiciens terret ferocitate com-
 minationis: & incorrectos exurit incendio damnationis.* Idem etiam
 oculi sunt Deum timentibus, *protector potentia, firmamentum virtu-
 tis, tegimen ardoris*, quia ipse est, ut explicat Rabbanus, *protector po-
 tentia ab omni adversitate eos protegens, firmamentum virtutis confor-
 tans infirmos: tegimen contra tentationum ardores.* Eadem promissio sit
 Isaia 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spi-
 ritu, & trementem sermones meos*, id est timentem transgredi, quæ Deus
 præcipit. Non dicit timentem, sed *trementem*: quia hoc electorum
 est proprium, ut ad omne id, quod peccati præsertim lethalis speciem
 exhibet, ferè totis artibus contremiscant, juxta illud Eccl. 2. 1. *quasi
 à facie Colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te*: sive,
 ut alii, *mordebunt te*. Sicut enim, Colubro vix conspecto, horrore
 quodam perfusi fugam arripimus: ita electi ad peccati lethalis vel
 ipsam umbram horrescunt: & dum in illud timent incidere, quodam
 modo à facie Serpentis fugiunt. Ideo Lyranus, *quasi*, inquit, *à facie
 Colubri fuge peccata: quia venenant animam, sicut Coluber sibi appro-
 pinqnantem.* Idcirco Ioseph sollicitatus à fœmina ad peccatum, *reli-
 cto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras* Genes. 35. *Poterat qui-
 dem, ut notat Cornelius, juvenis in florenti ætate robustus à fœmina vi-
 hoc pallium extorquere, sed noluit*: timens scilicet, ne vel ipso con-
 tactu pallii, quod fœmina jam tetigerat, contaminaretur. Hoc egre-
 giè adnotans Hieronymus lib. 1. adversus Iovinianum c. 4. *Ioseph, in-
 quit, quia tangere eum volebat Agyptia, fugit ex manibus ejus: &
 quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium,
 quod illa tetigerat, abiecit.* Hic sanè effectus fuit divini timoris, &
 ideo Deus Iosephum speciali providentia respexit exaltans illum fe-
 licitate temporali, & æterna, juxta promissum, *ad quem respiciam,*
 &c. *nisi ad trementem sermones meos?*

Quintò promittitur iis misericordia Dei, ex qua prædestinatio.
 Psal. 102. *misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super
 timentes eum.* Quem locum expendens Bernardus serm. 2. de Ascens.
*Misericordia, inquit, Domini super timentes eum, ab æterno per præ-
 destinationem, usque in æternum per glorificationem.*

Dei prote-
ctio.

Proverb. 24.

V.

Oculi Dei

flamma ignis,

& tegimen

ardoris.

Apocalip. 1.

Riccardus

Victor.

Isaia 66.

Eccl. 2. 1.

Peccata ser-

pentes.

Livianus.

VI.

Ioseph cum

pallium re-

liquirit in

manu fœ-

minæ.

Genes. 35.

Cornelius.

Occasiones

peccati vi-

tandæ.

Hieronym.

Fœminæ

manus ve-

nenatæ.

Psal. 102.

Bernard.

Prov. 14.

Prov. 19.

Glossa.

Innocentia
baptifinalis
servata præ-
destinatio-
nis signū.
Peccata ve-
nialia ad-
vertenter,
cum plena
deliberatio-
ne patrāda
vitare ma-
ximum est
prædestina-
tionis indi-
cium.

VII.

Mendacij
nomine
omne pec-
catum.

Augustin.

Bellarmini
de se testi-
monium.

Sextò denique promittitur Deum timentibus æterna vita, qui est ultimus prædestinationis effectus. Prov. 14. *Oculi Domini super timentes eum, dans illi vitam, & immortalitatem, & benedictionem.* Idem repetitur Prov. 19. *timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur,* id est, ut ibi glossa, *timor Domini ducit ad vitam: & in plenitudine benedictionis commorabitur.*

Porro hic Dei timor, si cohibeat ut plurimum à lethali peccato, magnum est prædestinationis indicium: quia ut plurimum tollit impeditiva finis. Majus indicium est, si semper: ita ut quis non sit conscius toto vitæ tempore lethalis peccati, per quod innocentia baptifinalis sit amissa. Maximum autem, si extendat se ad peccata etiam levia, ita ut ea etiam timeantur: neque venialia studiosè patrata, & cum plena deliberatione admittantur, ut est mendacium advertenter prolatum. Ab his abstinere maximum censeo, quod haberi potest in hac vita, prædestinationis pignus. Tum quia quanto quis magis recedit à peccato, per quod deviat à fine, tanto magis accedere censetur ad finem. Tum quia talibus destinata est gloria, ut habetur. Apoc. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, &c. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit: & in ore eorum non est inventum mendacium.* Hoc loco ad significandos eos, qui immaculatos se præstiterunt à peccatis, apponuntur pro exemplo ea peccata, quæ frequentius committi solent, ut inter peccata lethalia simplex fornicatio, inter venialia simplex mendacium, nisi forte mendacij nomine intelligatur quodlibet peccatum advertenter patratum: cum omne peccatum, ex eo quod aliud præferat, nempe bonum delectabile, aliud abscondat, nempe malitiam, dici possit mendacium. Ideo Augustinus lib. 14. de civ. cap. 4. *non frustra, inquit, dici potest omne peccatum esse mendacium. Mendacium est, quod cum fiat ut bene sit nobis, hinc potius nobis est malè.*

Immaculati igitur à peccato dicuntur reperti sine mendacio. Ideo subditur, *sine macula enim sunt ante Thronum Dei.* Inter hos adnumerari creduntur Beati Aloysius & Stanislaus, ut ex eorum vitis colligitur: & piè idem speramus de Sæctæ Memoræ Cardinali Bellarmino, qui jam penè octogenarius de se candidè affirmavit, nullius esse se culpæ deliberatè, seu advertenter admittæ, pro toto vitæ tempore conscius, ut habetur in ejus vita. Equidem novi aliquos, quid de venialibus non deliberatè patrandis se voto astrinxerunt. Inter quos vir secularis, magna dignitate conspicuus, votum hoc, ut ipse mihi confessus est, quotidie concipiebat, pro eo tantum die: ut si postea periculo, aut serupulo ageretur, solutus jam voto, potestatem haberet illud iterandi: vel non affirmavitque homo gravissimis negotiis implicatus, prospere, & ex sententia id illi succedere: eoque voto tanquam frano quodam se à levibus peccatis, quotiescunque illa

illa adverteret, cohiberi. Hic peccatorum timor, si se ad leves etiam noxas extendat, maximum, & ferè certum, ut diximus, prædestinationis est argumentum.

Porro timor hic retrahens à peccato duplex esse potest, filialis & servilis: Prior cadit etiam in Christum, de quo dicitur Isaia: cap. 11. *Replebit eum spiritus timoris Domini.* Neque dubium esse potest, quin timor hic sit inter signa prædestinationis amplissima, quando ex radice charitatis procedit, nempe ne offendatur divina bonitas. Ad cuius offensam vel levem vitandam, si hinc culpa immineret, illinc gehenna, vellet vir Dei amans ipsemet se in gehennam intrudere. Ideo dicere solebat Anselmus, ut refert Edinerus in ejus vita lib. 2. *malle se purum à peccato, & innocentem, gehennam habere, quam peccati sorde pollutum Cælorum Regna tenere*, quippe, ut ait Bernardus serm. de triplic. cohæren. *terribilius, & horribilius ipsa gehenna iudicatur in re levissima vultum Omnipotentis scienter offendere.* Nimirum, ut advertit Chrysostomus hom. 5. in epist. ad Roman. *Si nullam ob causam, certè ob hanc unam gehenna digni sumus, quod plus gehennam, quam ipsum Christum timemus.*

Timor duplex filialis & servilis. Isaia 11.

Anselmus. Edinerus. Bernard.

Chrysost.

Posterior verò timor, licet imperfectior, si sit ex motivo aliquo supernaturali, aut supernaturaliter cognito, ut est timor gehennæ, aut purgatorij, etiam utilissimus est ad salutem, & sic etiam prædestinationis indicium.

Patet id primò ex Trident. sess. 14. cap. 4. ubi dicitur *attritionem ex gehenna, & pœnarum metu donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsurum: & viam parare ad justitiam.* Quippe timor Dei filialis procedit ex charitate Dei: timor servilis ex charitate propria ordinata, quam quisque tenetur habere ad seipsum. Charitas autem sui plus trahere solet, quam charitas Dei. Ideo Augustinus epist. 50. ad Bonifac. *sicut, inquit, meliores sunt, quos dirigit amor: ita plures sunt, quos corrigit timor.*

Trident.

Timor filialis ex charitate Dei: servilis ex charitate propria.

August.

Timor trahit in amorem.

Ioan. 2.

Patet secundò, quia timor hic supernaturalis, quo aliquis retrahitur à peccato lethali, metu ignis gehennalis, & ex veniali metu ignis Purgatorij, facilè transit in timorem filialem: & charitas ordinata sui mutatur in charitatem Dei. Ideo in nuptiis Canæ Galileæ jussi sunt Ioan. 2. *implere hydrias aqua: & impleverunt eas usque ad summum.* Aqua autem in vinum optimum conversa est. Quod expendens Bernardus serm. 54. in Cant. *Aqua, inquit, timor est, quoniam ab astu refrigerat carnalium desideriorum. Denique timor Domini fons vita. Porro hydria est mens tua, omni tempore time Deum, & ex omni corde tuo, & implesti hydriam tuam usque ad summum. Tunc demum, si plenè, si perfectè timueris, dabit charitas saporem aquis tuis. Et quidem charitas vinum, quod latificat cor hominis, ut ubi aqua fuerat, vinum esse incipiat charitatis.*

Bernardus.

Timor Dei aqua, vinum charitas.

IO *Primum predestinationis signum*

IX.
Timor pe-
næ à Deo
immitti-
tur.
Dan. 7.

Dei thro-
nus cur flā-
meus.
Hieronym.
Num. 6.
Gregor.

Psal. 14.
Bernard.

Ad infernū
descendunt
videntes, ut
non descē-
dant mor-
tientes.
Basilius.

Psal. 53.

Timore
quasi fræ-
no anima à
peccatorū
concupis-
centia co-
hibetur.

Psal. 28.

Lorinus.

Aristot.

Cervi pa-
riunt
ex timore
tonitrus.

Psal. 17.

Tonitrus

vox Dei.

Lorinus.

X.
cervi pa-
tientes pec-
catores pœ-
nitenes.

Basilius.

Beda.

Patet idem tertio : quia timor ipse servilis gehennæ, etiamsi non transeat ad filialem, à Deo ipso incutitur ad refranandum à peccatis, & ad parandam viam salutis. Ideo dicitur Danielis. 7. *Thronus ejus flamma ignis : rota eius ignis accensus : fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.* Ignis in Dei throno ; ignis in cūtro, ignis in vultu : ut se undique paratum ad comburendos impios : & ad ultionem peccatorum demonstrer. Quamobrem in eum locum Hieronymus, *Omnia Dei flamma sunt : ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant.* Ideo etiam dicitur Num. 6. *Deum deducere ad inferos, & reducere :* quia ut exponit in poster. comment. Gregorius, *Deum ad inferos deducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere.* Tunc quippè peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus. Idcirco etiam monentur homines Ps. 14. quemadmodum notat Bernardus ser. ad fratres de monte Dei, *Vt descendant in infernum viventes, ne descendant morientes.* Hoc enim modo per considerationem, cellarum incola sapè descendunt ad inferos. Idem monet Basilius in Psal. 53. in ea verba, *venite filij, audite me : timorem Domini docebo vos.* Cum, inquit, te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal, &c. *Ad hac cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore : deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans : inexplebiliter surgens, neque unquam saturitatem sentiens : atque intolerabiles dolores corrosione ipsa insigens.* Hac time : & hoc timore quasi fræno animam à peccatorum concupiscentia cohibe. Sicut igitur fræno equorum, cum maximè incitati sunt ad cursum, petulantiam coercemus : ita, &c. Denique huc alludere videtur Propheta Psal. 28. *Vox Domini preparantis cervos, sive ut alij, obstetricantis cervos,* id est, ut exponit Lorinus, *dans cevis virtutē pariendi,* quia scilicet cerva, animal, ut notat Arist. 3. de part. animal. c. 4. valdè timidum, laxato utero, parere solet ob timorem, quem concipit ex tonitru. Tonitrus enim in Scripturis *vox Domini* dicitur, Ideo Psal. 17. *intonuit de Cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Vox igitur Domini preparantis cervos, est ut vertitur ex Hebræo, *tonitrus contremiscere, & parere faciens cervos :* quia Deus, ut exponit Lorinus in eum locum, *peccatores minis tormentorum, & gehenna terrios ad pœnitentiam reducit.* Quamobrè Basilius in proœm. ad Reg. fusiùs disput. propterea, inquit, *tonitrua, propterea terrores, ne bonitas contemnatur.* Ideo S. Episcopus Leidda, ut narrat Beda lib. 4. hist. Angl. c. 2. interrogatus à suis, cur tonante Cælo statim ad preces in Ecclesia fundendas confugeret, respondit, *non legistis, intonuit de Cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam ?* quia scilicet tonitrum ut vocem Domini agnoscebat, eo fragore æterna minantis supplicia.

Patet id quartò experientia. Arsenius, ut narrat Metaphrastes in
 ejus vita, cum instante morte, mox migraturus, magno affici metu
 videretur, interrogatus, cur post vitam innocentissimam, centum &
 viginti annis magna ex parte inter summas asperitates in eremo tra-
 ductis, supplicium pertimesceret, *revera*, inquit, *hic metus, quo me*
videtis affici, nunquam à me recessit, ex quo factus sum monachus.
 Climacus gradu 4. refert de quodam monacho, coqui functum mu-
 nere, magnam acquisivisse donum lachrymarum: eò quod ex aspectu
 ignis perpetuò gehennæ flammæ contemplaretur. Abbas quidam ri-
 gidissimè vivens in eremo, interrogatus cur tot labores perferret,
 respondit, *Totus labor, quem hic sustineo, non est idoneus comparari*
ad unam diem tormentorum: quæ peccatoribus in futuro sæculo præpa-
rantur. Ita refertur in vitis Patrum lib. 5. c. 7. de patientia. Timor igitur
 hic gehennæ sæpè etiam in sanctis viris, atque eximiè præde-
 stinatis conspicitur, utpote saluberrimus, & valde conducens ad fi-
 nem salutis.

Idcirco Deus, non ut somniant Rabbini, secundo die, sed primo
 ipso die unà cum Angelis creavit gehennam: ut egregiè probat
 Cornelius à lapide in Genes. 1. & docet Gregorius lib. 15. moral.
 cap. 17. ubi *omnipotentis*, inquit, *justitia futurorum præscia ab ipsa*
mundi origine gehenna ignem creavit: ne scilicet sine terrore gehennæ
vel uno tantum die mundus existeret. Quippe hic terror à Deo
 volente omnes homines salvos fieri ordinantur ad finem salutis.
 Nam, ut advertit Chrysostomus homilia de zona, *Deus ideo gehennam*
minatur, ut gehennam non inferat. Immo ideo gehennam pro-
 ponit, ut electi gradum ex ea sibi faciant ad Cælum: & ut idem
 Chrysostomus notat in Genes. 39. hom. 44. *propter hoc gehennam*
minatur, ut in regnum Cælorum per eam intrare nos faciat. Quia ni-
 mirum, ut docet Trident. Sess. cit. metus gehennæ ad Dei gratiam
 disponit, & sic disponit ad gloriam. Vnde fit, ut primum signum
 fit, & remotum prædestinationis. Si verò timor ita retrahit à pec-
 cando, ut si minus plane, saltem pænè immunem reddat ab omni
 eo, quod speciem habet peccati, sive lethalis; sive, quod majus
 est, etiam venialis deliberati, tunc signum est prædestinationis
 primum primitate dignitatis: & eo minus aut majus, quo minus
 aut magis accedit ad hanc immunitatem à peccatis probabiliter
 cognitam, & in hoc sensu dixit Sanctus Ephrem serm. de timore
 Dei, *non est inter homines illo major, qui timet Dominum.* Ideo David
 Psalm. 14. quærens hoc ipsum, quis sit è numero electorum, *Domine*
quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto
tuo? subjicit, *qui ingreditur sine macula,* & Psalm. 23. movens hoc
 idem quæsitum, *quis ascendet ad montem Domini, aut quis stabit in*
loco sancto ejus? subdit. *Innocens manibus, & mundo corde, &c.*

Metaphra-
 stes.
 Arsenij me-
 tus in mor-
 te.

Climacus.
 Gehennæ
 timor la-
 chrymas
 elicit.

Vita Patrum
 Pelagio in-
 terprete.

Gehenna
 primo mū-
 di die crea-
 ta.

Cornel.
 Gregor.
 XI.

Gehennam
 Deus mi-
 natur, ut li-
 beret à ge-
 henna.

Chryso-
 st.

Tridentin.

S. Ephrem.
 Psal. 14.

Psalm. 23.



Immunitas à peccato prædestinationis signum potissimum. *Augustinus.* Primum prædestinationis signum ponitur hic immunitas à peccato operis & cordis. Quamobrem in eum locum Augustinus, *Quis illuc ascendet & permanebit ibi, nisi innocens in operibus & mundus in cogitatione?*

Pro. 28. Bernard. Hoc est primum prædestinationis indicium, timor peccandi retrahens à peccato. Quod enim veraciter timetur, effugitur. Per fugam autem à peccato sive retinetur, sive recuperatur gratia: & sic gloria & beatitudo, cujus semen est gratia. Ideo dicitur *Pro. 28. Beatus homo, qui semper est pavidus.* Quem locum expendens Bernardus ser. 54.

Triplex Dei timor. in Cant. *Beatus, inquit, homo, qui semper est pavidus, sive cum amiserit gratiam, sive cum habuerit, sive cum denuò recuperaverit, & infra. Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plus pro recuperata. Nihil negligit, qui sic timet.*

Ephrem. Claudam caput hoc de divino timore prædestinationis auspice verbis S. Ephrem Syri serm. de timore Dei, quæ mirificè rem illustrent. *Timor, inquit, Domini munitio anima. Timor Domini mentem dirigit. Timor Domini cordis tutela. Timor Domini gubernator est anima. Timor Domini malitiam tabefacit, passiones imminuit, dilectionem auget. Timor Domini anima schola est & bonam ei spem annuntiat (nempe prædestinationis & salutis) Timor Domini animum spiritus sancti & intelligentia replebit: ipsique sceptrum cælestis regni tradet. Nihil ad omen prædestinationis illustrius.*

CAPUT II.

Primum reprobationis signum peccandi facilitas.

XII. *Peccandi facilitas primum reprobationis signum. Aristot.* **E** Dictis apparet, quid de reprobatione dicendum sit. Dico secundo. Primum præscitorum signum est facilitas peccandi. Probatur, quia ita se habet ad terminum reprobationis peccandi facilitas, sicut se habet ad terminum prædestinationis peccati timor. Quippe *Oppositorum eadem est disciplina.* 1. Topic. c. 8. Et ratio est, quia terminus reprobationis est exclusio ab ultimo fine supernaturali: & sic opponitur termino prædestinationis, qui est Deus clarè visus. Peccatū autem non est aliud nisi deviatio ab ultimo fine. Vnde sequitur ut sit deviatio à termino prædestinationis, & sic directio ad terminum illi oppositum, ad quem per reprobationem tenditur. Ergo peccatum ut via est signum talis termini: & sic reprobationis in hunc terminum desinentis. Confirmatur è Scripturis. Habetur enim de reprobis *Iob. 15. Qui bibunt quasi aquam iniquitatem,*